

2936

De

1614

32.

MONARCHIA EJUSQUE OFFICIO ET POTESTATE, DISPUTATIO JURIDICO-POLITICA,

Quam,

Divinâ aspirante gratiâ,

IN CELEBERRIMA ACADEMIA
WITTEBERGENSI

Snb Praesidio

Helfrici Ulrici Hunnii, J. U.

Doctoris, & designati in inclyta Academ-
mia Giesseña Professoris Publ. &
Ordin.

Publici exerciti⁹ grati⁹ proponit

ANDREAS E Berg / SUDERMANNO-
SUECUS,

In Auditorio J Ctorum die 26. Martii, horis
matutinis.

Innotescit
Gottfridum Rm
85. L. Cavidar
52. Ecclonit
John. Romant
anica et publica
ne invita si frappi

WITEBERGAE,

Ex Officina Typographica Wolfgangi Meisneri,
ANNO CLXIX XIV.



MAGNIFICENTISSIMO AC GENERO-
SISSIMO DNO,

Dn. AXELIO GOSTAVI OXEN-
STIERN Lib. Bar, De Fijholm/
Inclyti Regni Sueciæ Cancellario
Amplissimo,
NEC NON

NOBILISSIMO AC PRUDENTISSIMO
Dn. JOHANNI SCHYTTE de Elffsið/
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRIN-
CIPIS AC DOMINI,

Dn. GUSTAVI ADOLPHI
Suecorum, Gothorum & VVandalorum Hæ-
reditarii ac designati Regis, Magni Ducis Fin-
landiæ, Ducis Eſtlandiæ & Westman-
diæ, &c.

Regis ac Domini mei Cle-
mentissimi, Consiliario intimo,

Dnis. Favitoribus, Promotoribus, & Patronis
suis, singulari fide & observantia eternum colendis,
honorandis.

Ips. Magnificentissime ac Generosissime Domine Cancellarie Nobilissime ac Prudentiss. Dn. Consiliarie, Mæcenates humili-
ma observantia affectu jugiter honorandi, tum artes literariales,
quas hic maximè celebrantur; tum etiam favor Professorum ac
Præceptorum meorum in me extensus, & præcipue Dn. Helf-
rici Ulrici Hamm. I. V. Doctoris, qui me periculis fortuna telis expositum
singulari benevolentia sibi obligavit, me in exortis nationalibus diutius retinere
contendunt: tamen desiderium Regiam Majestatem, Vestras Nobilissimas Domi-
nationes, adeoq; totam patriam videndi, facit quod ulterius moram hic neclere
non possum, quin primâ occasione in patriam revertar.

Interim tamen, Magnificentissime Dn. Cancellarie, ac Prudentissime Do-
mine Consiliarie, facit V. N. D. magnitudo erga me beneficiorum (cuius
memoria apud me senescere neque debet neque potest) ut assidua gratias re-
cordatione in mente mecum cogitem, quomodo aliquam V. N. D. gratiam
persolvere possem. Cum autem intelligo, me illam benevolentiam, quam V. N.
D. benigno corde erga me exercuerunt, rependere non posse: Confido, me excusa-
tionem meveri, si debita subiectio gratitudinem ex bono affectu latenti litteris
declarare ero. Hac spe ductus mittit V. N. D. hanc disputationem de Monarcha
eiusq; officio, in quale unq; signum animi mei motus, quam diligenter orans,
ut V. N. D. illud exiguum murus, in hac meorum rerum tenuitate clementia a-
nimо suscipere non designentur, donec V. N. D. aliquid maius praestare potuerit.

Hicce Domino Dom'inorum, omnium Regnum summo gubernatori, recto-
rumq; omnium consiliorum Duci & Moderatori V. N. D. quam fidelissime
commendo, ab eoq; crebris ardenterq; votis opto, ut omnes V. N. D. delibera-
tiones, consultationes, actiones & legationes fortunet & prosperet, sic ut iste
hicce omnia ad Dei gloriam; ad Serenissimi ac Potentiss. Regis nostri GUSTAVI
ADOLPHI salutem, celebritatem ac Majestatem, ad inclitam Regni Sueci ampli-
tudinem, dilatationem, & omnium Regni indigenarum salutem & prospiri-
tatem vergant & tendant.

Vest. Nobil. Dom.

Humil. Dd.

ANDREAS E Berg.



De Monarcha , ejus officio & potestate.

DISPUTATIO JURIDICO-POLITICA.

THESIS I.

MONARCHA est, penes quem unum summa totius Reipublicæ administratio & potestas est.

2. In quo duo consideranda veniunt, officiū & potestas.
3. Officium rursus in duobus potissimum consistit, in administratione & amplificatione Reipublicæ.

4. Quantum ad prius, ptacipua pars officii Regii est, ut sollicitè administret, tueatur & regat Rempublicam: idq; utroq; tempore, pacis & belli, per *proœm. Instit.* Sic ut tempore quidem pacis per legitimos tramites, hoc est, per modum à legibus præscriptum, calumniantium iniquitatem expellat, sceleratos homines coercent, debitissq; poenias subjiciat, benè meritos vero de Repub. præmiis afficit, juventutem recte educari faciat; deniq; unumquemq; civium suo in officio contineat.

5. Tempore autem belli à Republica hostes arceat ac profiget: illisq; profligatis ac domitis, pacem Reipublicæ restituat. *d. proœm. Instit.*

6. Ad hanc feliciter expedienda duob. cum primis Principem instructum esse oportet: Legibus & armis. *d. pr. proœm. Instit.*

7. Legibus non solum Divinis & Naturalibus, quarum custos & executor est Princeps, *Deut. 17. 18.* Sed etiam Ci-

A 3

vili-

vilibus, tām ab Antecessoribus suis, quām à se compo-
sitis, & promulgatis.

8. Quippe ad Monarcham spectare, legem universalem
condere, dubium planè nullum est, §. sed & quod Principi
placuit. *Inst. de Jure Nat. Gent. & Civil.*

9. Quin ejusdem est legem vel à se, vel antecessore la-
tam interpretari: Idq; solius Imperatoris officium esse Im-
perator Justinianus testatur: Definimus, inquiens, omnē
Imperatorum legum interpretationem, sive in precibus,
sive in iudiciis, sive alio quoque modo factam ratam,
& indubitatam haberi: Si enim in præsenti leges condere
soli Imperatori concessum est, & leges interpretari solo
dignum Imperio esse oportet. *I. fin. C. de LL.*

10. Quod tamen Juris Romani Interpp. *de ealge ex-*
audiri volunt, cuius sententia usque adē obscura est, ut
nullā omnino ratione à judice vel JCto elici possit: Nam
tunc demum ad Imperatoriam majestatem recurrendum
ab eaque declarationem legis obscurā petendam existi-
mant: Secus verò si possit probabili ratione æqua legis
sententia erui. Tum enim iudicū & JCtorum esse leges
interpretari innumeris juris testimoniis probatur. *I. g. C.*
de iudicis. I.11. I.12. I.13. I.14. I.18. I.19. cum sequent. ff. de LL.

11. Forma legis cuiusq; in ratione consistit, unde & ratio,
legis anima à JCtis dicitur; proinde unaquæque lex ratio-
nem justam habere debet: ita ut nomen legis non merear-
tur, quæ ratione destituitur, *I.39. ff. de legibus. I. decernimus.*
C. de Episcop. & Cleric. cap. erit distinct. 4.

12. Ex quo manifestum eyadit, errare illos plurimum,
qui errorem ius facere statuunt: Quiq; jurisprudentiam
non certa ratione; sed hominum solum auctoritate & o-
pinione nitiasseverant.

13. Ratio verò illa, quam pro anima lex habet, juri divi-
no,

no, legi^q; naturali conveniens, aut certe eidem non contraria esse debet; uti nec à jure Gentium eam in totum recedere oportet, l. 6. ff. de justit. & jur.

14. Quanquam enim Princeps jure civili superior sit, ei^q; præsit, jure tamen divino & naturali est inferior, Alberic. Gentil. in disp. Régal. 1. de potestate Regis absoluta. Vas-
guinius Illust. quest. lib. 1. c. 26. n. 15. Vincent. Castellan. de offic. Re-
gis lib. 3. cap. 3 v. i b. 59. n. 16. de sol. gen. Ulpian. et regis epulione.

15. Evidens Reipubl. ncceſſitas vel utilitas postulet, jus naturæ & Gentium determinare ac limitare. Principi permittitur, ut haud obscurè innuit Ulpian. in l. 6. ff. de justit. & jur Zoannet. de duplice venat. n. 93.

16. Äquitati insuper consona esse debet ratio legis. Quare & Ulpian. jus artem æqui & boni definit, l. 1. ff. de justit. & jur. Et conditores legum Äquitatis debere esse fautores impp. Theodosius & Valent. rescribunt in l. 8. C. de pac*t*. Conv. tam sup. dot. Atque in omnibus maximè tamen in jure æquitatem spectandam esse ait Paulus in l. 90. de Reg. jur. Et Constant. placuit, inquit, in omnib. rebus præcipuum esse justiciæ æquitatisque quam stricti juris rationem, l. 8. C. de judic.

17. Ceterum æquitas duplex est: Naturalis & Civilis, l. 1. pr. ff. de pac*t*. l. 1. §. 1. ff. si quis quiescit. lib. effe. l. 31. ff. deposit. Quorum illa privatum etiam: Hæc verò publicum duntaxat bonum concernit: Quas si pugnare invicem contingat, superior evadit Civilis, ac Naturalem vincit, d. l. 31. Publici quippe boni potior ratio est, quam commodi privati; Et salus populi ubique suprema lex esse debet.

18. Hinc scilicet frequenter accidit, ut lex, quæ revera æqua est, ac summâ æquitate nititur, iniqua tamen apparet, eo quod à naturali æquitate longius recedat, inque privatos dura existat: cuius exempla nobis exhibent l. pro-
pexit.

spexit. 12. ff. qui & à quibus manum, l. i. & tot. tit. ff. de usurp.
& usurp. & d. l. 31.

19. Vis & effectus legum est imperare, & permittere fa-
cienda: prohibere verò & punire non facienda, l. 7. ff. de
legib. l. 2. ff. cod. l. 2. ff. de legib.

20. Executio legis consistit in pñnis & præmiis. Qua-
rum illas quidem inobedientibus & malefactoribus. Hæc
verò obedientibus & benefactoribus lex decernit, l. unic.
C. defamos lib. Hæc sunt duo illa Reipub. fulra, mediaq;, ^{et}
quibus præcipue cives & subditi in officio continentur, &
Respublica quieta & pacata conservatur: Ad eò ut Cice-
rone teste, nec domus nec Resp. diu stare possit: si in ea nec
rectè factis præmia extent ulla, nec supplicia peccatis.

21. Quod autem ad poenas eorum, qui contra legem fa-
ciunt, siquidem circa administrationem rerum aliquid
adversus legem committant, sive quid faciant secus, quam
per ll. licet, sive quid omittant contra leges, poena hæc est,
ut id, quod factum est, pro infecto habeatur, l. 5. C. de ll. Nec
sustineatur, etiam si juramentum accesserit, d. l. 5. & l. 112.
§. fin. ff. de legatis.

22. In delictis vero, ut sunt infinita, & re & gravitate ma-
xime inter se distantia: ita poena nulla omnium commu-
nis, sed pro genere & qualitate delicti pœnæ legibus con-
stituta, aut judicis arbitrio constituenda ac determinan-
da sunt.

23. Verum enim vero, cùm pœnarum æqualitate nil
quicquam iniquius aut perniciösius sit, idcirco in illis ir-
rogandis, sicut & in præmiis decernendis Harmonicam
proportionem observandam putamus: sic ut in pœnis pe-
cuniariis locupletior summà majore, quam tenuis formul-
etur: quoniam alias si Arithmetica proportione obser-
vatæ opulentiores non majore, quam pauperes pœna ple-
ntrentur,

At erentur, multa à dñioribus facile contemneretur & eluderetur.

2.4 In capitalibus verò & corporalibus pœnis illustrior & nobilior mitiore pœna, quām obscurior & inferioris sub-sellii homo afficiatur, l. i. l. 3. § pen. ff. ad l. Corn. de siccari, l. 16. § 3. ff. de pen. l. 6. in pr. ff. ad l. Iul. peculat. l. ult. ff. de incend. &c. &c.

25. Sed & circumstantias causarum, personarum, locorum, temporum, qualitatum, quantitatuum & eventus interrogandis pœnis diligenter considerari oportere Claudio Saturninus monet *in l. 16. ff. de pœn.* ut nempe pro ratione harum circumstantiarum vel exasperentur vel mitigentur pœnæ, *d. l. 16.*

26. *Quin & tunc supplicia exacerbari ratio Reipubl. postulat, cum nimium multis personis grassantibus exemplo opus est, d. l. 16. §. fin.* Quò nempè ubi male meriti dignas suorum scelerum senserint pœnas, exemplo sint alis ad deterrenda maleficia. *J. 31. ff depositi.*

27. Ex iisdem quoq; circumstantiis pœna mitigari debet, d. l.16. extra quas utrumne in principiis sit manu, pœnas à legibus constitutas ac determinatas delinquentibus mitigare? quæstionis est controversæ. Affirmandum putarim, S. sed & quod principi placuit. J. de jure Nat. Gent. & Civil. Nisi pœna lege divina morali determinata, irrogari eadem lege expresse jubeatur, Daneus in polit. Christian. lib.6. c.3.

28. In totum verò pœnam delinquentibus remittere
princeps vix poterit. Tum quod Reip. cuius salutem prin-
ceps perpetuò spectare debet, plurimum intersit maleficia
puniri, l. 51. ff. adl. Aquil. l. 6. §. pen. l. 20. l. 28. §. 15. ff. de pen. l.
14. C. eod. suppliciorumq; acerbitate & exemplo minui faci-
norum frequentiam, l. 16. §. fin. ff. de pen. provinciamq; ma-
lis hominibus purgari, & in unum quemq; , prout delique-
rit, animadverti, l. 13. pr. ff. de offic. prasid.

29. Tum etiam quod delictorum iurī naturali & divino
adversantium pœna. quoad genus, sit naturalis, moralis &
perpetua, ac proinde indispensabilis ac irremissibilis. Tum
deniq; quod D. Apostolo teste, Magistratus sit minister Dei,
itaq; ut minister gladium gerat. sitq; ex præcepto & man-
dato Dei, vindex in iram ei, qui malum egit, Rom. 13. v. 4.

30. Sanè si delictum sit merē civile, sive contra legē merē
civilem, dubium nullum est, quin pœnæ remissio & conda-
natione in arbitrio sit Principis: ut enim principis est legem
civilem condere, ita quoq; ejusdem erit circa eandem di-
ispensare, l. fin. C de legib.

31. BELLI TEMPORE gubernatur Resp. potissimum ar-
mis, Inst. proœm. Decet quippè principem, etiam Christia-
num pro Republica populoq; sibi commisso vigilare, & si
resita poscit, pro aris & focis, adversus hostē arma capere.

32. Id tamen non levi quavis de causa, sed urgente sum-
mā Reip. ne cessitate: Nam fugiendum bellum, non tamen ut o-
mnia pati velimus, ne in id incidamus: pax si justa ea pulcherrima:
Alias nihil inusta faciendum, nil turpiter patiendum, ut pacem ha-
beamus, inquit Polyb. lib. 4.

33. Justam igitur causam omnino præcedere oportet, ut
bellum suscipiantur: Tales causæ sunt Reipub. atq; popul. i-
temq; confœderatorum ac sociorum defensio, arg. l. 3. ff. de
justit. & jur. Rerum inusta ac per vim ablatarū recuperatio
l. 1. C. unde vi. Ejus quod naturali aut gentiū jure competit ab
hoste inusta denegatio aut prohibito: Injuriarum illatarū
ultio, & denique fœderum & pactiorum violatio.

34. Solam vero Imperii amplificationem, ac divitiarum
facultatumq; acquisitionem pro justis bellicausis nequa-
quam habendas, infra dicetur. Inferre enim bella finitimiſ &
inde populus, sibi non molestos, sola Regni cupiditate conterere, quid
aliud, quam grande latrocinium nominandum est, inquit Augustus.
lib. 4. de civit. Dei.

Mul-

35. Multò igitur minus propriam gloriam, propriumque
commodum justam præbere principi belli causam existi-
matus: cum magistratum & bellum & pacem non ad su-
am, sed ad Reipubl. utilitatem referre oporteat, vid. Bocer. de
jure belli lib. 3. c. 1.

36. Idemque de infidelitate dicendum existimamus, cum
enim (ut sapientissimus Rex Theodosius apud Cassiodor. 2.
var. 27. lib. 10. c. 26. inquit) religionem imperare non possim⁹,
quia ne mo cogitur, ut credat invitus: Idcirco ob solam in-
fidelitatis causam aliis bellum inferre non licet.

37. Bellum porro justam ob causam suscepturus, operam
dabit, ut paratum habeat & exercitatum militem, strenuos
item & peritos Duces: Deq; armis idoneis, deq; com-
meatu, aliisque ad bellum gerendum necessariis sibi diligenter
prospiciat: locum prælio & castris oportunum eligat: A-
ciem prudenter & mature instruat atque disponat, non
modò ad hosti resistendum, ejusq; vim reprimendam, sed
ad inferendam etiam.

38. In prælio ipso, si ei consistendum (quod tamen, nisi
lex Regni jubeat, minus consultum videtur, Sam. 2. c. 18.) for-
tem atque intrepidum se præstet, ^{hac ratione} militemque suo exemplo
ad fortitudinem erigat & animet.

39. Hostem quoque, ubi ejus occasio erit, dolo & stratage-
matibus circumveniat, Hoc enim non tantum jure huma-
no, l. i. §. 3. ff. de dolo, sed divino etiam permisum est.

40. Quod si ipsum victorem ex prælio evadere contin-
gar, victoria leniter, moderatè & cautè utatur; pacemque ab
hoste devicto sibi oblatam, si conditiones ejus sint æquæ,
tolerabiles & acceptabiles, ne temerè repudiet. Cum pax
sit belli finis unicus, quem ipse intendit, aut certè intendere
debuit. Ita bellum suscipiatur, ut nihil aliud, quam pax quæsita vi-
deatur, ait Cic. lib. 3. de offic. Et Augustinus, pacem, inquit, habere

debet voluntas: bellum necessitas: non enim pax queritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur, cap. 3. caus. 13 quest. 1. contra S. fr.

41. Ante tamen pacem ab hoste petitam, non prohibetur fugientem inseguiri ac perseguiri, ditionemque ejus invadere, suamque in potestatem redigere: Tum quod damnum sibi datum, resq; sibi ablatas, sumptusque belli, (qui ei iure refundi debent) vix alia vi recuperare queat: Tum quod justus hic subsit metus, ut hostis vires recolligat, atq; Rempublicam denuo invadat, majore fortassis, quam antea, Reip. periculo.

42. Si verò contrà princeps prælio vincatur, atq; succumbat, non statim propterea animum despondeat, nec se se hosti dedat: sed viribus recollectis, cum hoste iterum congregatur, extremaq; tentet, sin viribus diffidat, tum pacem exquis & tolerabilibus conditionibus à victore impearare studeat: impetratam sanctè custodiat, fidemq; datam religiosè servet. l. 5. ubi Duar. ff. de past.

43. Dictum est supra ad officium Imperatoris, quod pacis tempore sustineat, pertinere etiam, ut Remp. omnibus honestis ac justis modis pro virili augeat & amplificet. Unde etiam Imperator Romanus semper Augustus, alle git Meh rer des Reichs / salutari consuevit.

44. Amplificatur autem Respub. aut hominibus, aut cibis, aut finibus seu terminis: Hominibus augetur coniugio, confœderationibus seu societatibus & clientelis.

45. Matrimonium seminarium esse amplificandæ Reip. testis est Marc. Tullius Cic. libr. 1. de offic. Cui assentitur Iustus Paulus in l. 2. ff. de jure dot. ubi Respublice, inquit, interest mulieres dotes salvias habere, propter quas nubere possunt: idemq; Pomponius sentit in l. 1. ff. solut. Matrim. Dotium, inquiens, causa semper & ubique præcipua est: Nam & publicè interest, dotes mu-

tieri-

tieribus conservari. Cum dotatas esse feminas ad sobolem procreandam replendamque liberis civitatem maximè sit necessarium.

46. Quapropter Principis cura sit, ut cœlibatus Reipublicæ perniciosus prohibetur, matrimonium maturè à cibis ineatur: polygamia aliaq; libidines illicitæ ac promiscuae refrenentur: Scortationes & adulteria severè puniantur; lupanaria denique non solum juri divino & naturali contraria; Sed Reipublicæ etiam admodum perniciosa tollantur & erigi prohibeantur.

47. Confœderationibus quoq; & societatibus Remp. misericordia amplificari indubitatum est. Quapropter & illæ non solum licita, sed etiam utiles & quandoque etiam necessaria erunt Reipublicæ: Modò conditionibus justis, deq; rebus honestis ac licitis, & cum illis siant, cum quibus nec ius, nec honestas, nec salus Reipubl. prohibent, arg. l. 7. §. ait prætor. ff. de pac*t*.

48. Initæ verò confœderationes ac societates religiosæ & inviolabilitate custodiri debent, non solum quas ipse princeps, sed & quas antecessor ipsius, nomine Imperii, iniicit: Nam, si Imperator fœdus percusset: videtur populus percussisse Romanus & fædere continetur, ait Seneca 4. decla. i. § 9. contrav. 2.

49. Sed utrum cum infidelibus etiam fœdus iniri initumq; servari debeat? queri solet: placet affirmantium opinio, si modò, quod supra requirebamus, citra Reipub. & religionis fiat præjudicium.

50. Clientelas non ministris amplificationi Reipub. inservire exploratum est, si & illæ iisdem, quibus confœderatio, conditionibus sint conjuncta. Unde quæstio admodum controversa exsurgit: anne fas sit subditos contra Dominum suum pugnantes, in tutelam & clien-

telam recipere? Et quidem si à Domino nullam justam ob causam defecerint, si que rebellarent, non dubitamus, quia tales aduersus Dominum juvare & armare non liceat: sin causam defectionis habuerint justam, magis dubitari solet: Et nobis verior videtur affirmantium opinio, Alberic.
Gentil: intr. de bello lib. i. c. 16.

51. Opibus amplificatur Res publica per negociationes & commercia, quæ pro virili promovere est principis: Deinde per ærarium publici confectionē, conservationem & collocationem: confici a. debet ærarium non quibusvis modis, nec ex re quavis: sed rationibus duntaxat honestis, quæ nullas præ se ferant sordes, nec subditis nimium sint onerosæ: Eiusmodi sunt, quæ ex prædiis & possessionibus publicis rediguntur: Quæ ex spoliis hostium percipiuntur, eaptarum nempe urbium æraria & pecunia publicæ, quas ærario Reipub. victoris inferri oportet.

52. Item, quæ ex vestigalibus rerum evectarum rediguntur: interim tamen vestigal moderandum, ut earum rerum, quibus subditi carere nequeunt, invectioñes lenientur: contra vero investigationes earum rerum, quæ ad delicias, ad luxum & voluptatem spectant, graventur, juxta præceptum Platonis lib. 5. de legib.

53. Eodem denique pertinent, quæ ex tributis sive confederatorum, sive subditorum conferuntur: Tributis tamen & collectis socios a confederatos, ultra modum onerari non oportet: nec exigendi debent tributa & vestigalia, nisi summa urgente necessitate.

54. Sed num à tributis, collectis & vestigalibus, immunes sint Clerici, hic non importunè queritur. Et quidem affirmativam præfrazæ tuentur Pontificii: Verum contraaria opinio à nostris probata verissima est, & immotis fundamentis subnixa.

55. A-

55. Ærafiūm autem hisce modis confectum diligenter & bona fide asservari, & in usum publicum, non in privatum commodum converti debet.

56. Finibus denique & terminis amplificatur ac dilatatur imperium, per justum bellum, quo vel deditio[n]e, vel expugnatione, urbes itemq[ue] provinciae ac regiones hostium, imperio adjiciuntur. Interim tamen pro justo bello minimè id reputandum, quod ob solam Imperii amplificationem suscipitur, uti suprà in thesi 34. dictum est. Et hactenus de officio Imperatoris.

57. POTESTATEM principis legibus solutam esse communis est opinio: Quam tamen absque distinctione admittendami non putamus: primò enim legibus Regni fundamentalibus principem adstrictum esse, nemo (opinor) nisi fortè communis sensus expers, & moris omnis ignarus inficias ibit.

58. Divinis item legibus principem solutum dicere, impium sane est, c. 17. Deut. Quod ipsum quoque de legibus naturalibus & gentium afferendum videretur. Harum quippe respectu non ut princeps; sed ut homo consideratur, arg. pr. Inst. de jur. Nat. Gent. & Civil. contra 8. 70.

59. Idemq[ue] ad leges etiam civiles mixtas porrigendum. Solis igitur civilibus legibus, quæ merè sunt tales, solutus erit princeps: Idq[ue] dubio procul Ulpian. sensit, quando principem legibus solutum esse pronunciavit, in l. 31. ff. de legib.

60. His itaque sic generaliter præmissis porrò queritur, quantum potestatis Regi in bona & facultates imperii competat? Etanne illa sine Ordinum Imperii consensu alienare, aut quovis titulo ab Imperio avellere queat? Circa quam questionem distinctione opus est: Nam si princeps suffragio populi Statuumq[ue] Imperii ad Regnum pervenit, dubium nullum

nullum est, quin nullà etiam de non alienando Regno p-
ctione interposita, nihil quicquam de Regno abalienare
possit.

61. Id quod & tunc obtinere putamus, cùm vel majorum
suorum hereditate, & continua successione, vel extranei
alicujus testamento ac beneficio Regnum obtinuerit: Tum
quod facultates ejusmodi non tam Regis sint, quām Regni,
eius tutor & administrator Rex est, Coverruv. par. 2. relect
cap. quamvis. §. 2. n. 4. de pact. in sext.

62. Tum etiam, quod Regis cuiusq; sit, pro virili Remp.
amplificare, ut suprà quoque est dictum, unde in plerisque
principum juramentis expressè excipi solet, ne ipsis liceat
Regni conditionem deteriorem facere, aut bona Imperii
transferre: Sic Carolum V. ex præscripto Septenvirorum
jurasse refert Sleidanus lib. 1 comment. p. 29. Eodemq; modo
Reges Suecorum, Polonorum, Ungarorum & Danorum ju-
rare solere, ex singulorum jurandi formulis reluet claris-
fime.

63. Atque haec tenus dicta in tantum vera sunt, ut et si alie-
natio jure jurando interposito facta fuerit, nihilo tamen
magis subsistat, ut quæ sit in præjudicium tertii jurisq; pub-
lici facta, arg. cap. cum contingat. extr. de jure jurando. c. intellecto.
de jure jurando Zoannet. de Rom. Imp. n. 175.

64. Excipiunt tamen hic vulgo necessitatē, quæ bona
Imperii abalienari suadeat, propterea quod necessitas le-
gejun. Verū man hōc absque Ordinum Imperii consensu
procedat, non immeritd dubitari posset.

65. Interim tamen quin propriā autoritate Imperator
bona Imperii in feudum dare queat, non dubitandum pu-
tamus. arg. tit. 13. in fin. Et tit. 52. Et 55. lib. 2. F.

66. Quod si Rex Regnum armis ac bello acquisierit, et si

Fr. Ha-

Fr. Hotomanno idem hic quod in superioribus casibus dicendum videatur: Verius tamen est, principem hoc casu de Regno suo, tanquam de re propria liberè disponere ac pro arbitrio suo, invitis etiam subditis bona & facultates Regni abalienare posse.

67. Quod ad potestatem principis circa regalia, juraque soli Regi competentia, explorati juris est, Imperiorum nostri praxis, satis superque docet ea ab Imperatore aliis, cumulatively tamen, tribui & communicari posse: excepto jure indi- cendi bellum publicum, condendi leges universales, instituendis nova vestigalia, *Bocer. de Regalib. c. 4 n. 2.*

68. Leges & jura publica non sunt omnino in manu principis, nec illa pro lubitu abrogare & mutare potest, principio enim principi fundamentales principatus sui leges antiquare minimè licet: Nam abolere ea jura, quibus status Reip. atque ipsius salus continetur, quid aliud esset, quam si ipsum ultrò pessundare.

69. In legibus divinis quoque & naturalibus nil mutare, aut tollere potest princeps, *Deut. 4. & cap. 17.* Est quidem summus magistratus custos utriusque divinæ legis tabulae, morum inspector, & criminum, sive in Deum, sive in proximos perpetrorum vindex, *I. Timoth. 2. v. 2. Roman. 13.* Verum non est verbi diviui, vel cultus Dei voluntarius honorariusve censor, moderator & arbiter, ut quidpiam illi addat detrahatur.

70. Naturæ etiam jura & leges nobiscum natæ antiquari à principe nequeunt: Hæc siquidem jura diuinæ providentia constituta immutabilia sunt & in violabili, §. pen. *Inst. de Jure Nat. Gent. & Civil.* iisdemque princeps non minus quam alius quivis privatus, subjectus est.

71. Limitare tamen ac determinare jura naturalia ex justa causa princeps non prohibetur, *I. 6. ff. de justit. & jur.*

72. Planè civilia jura , vel à se , vel ab antecessore suo condita , si vel perniciosa Reipubl. vel inutilia aut supervaria existant mutare aut è medio tollere potest , arg. l. i. & 2. C. de vetere jur. encl. & d. 1 fin. C. de LL.

73. Etsi enim lex ab initio inutiliter fuerit lata ; fieri tamen potest ; ut tempore & hominum , nec non Reipublicæ illius mutatione inutilis reddatur , ac Reipublicæ detimentosa evadat . Nec enim quidvis cuivis temporis & quibusvis hominum motibus convenit , quantumvis per se malum fortassis non sit .

74. Interim tamen circa legum mutationem & abrogationem illud probè observandum , quod prudentes monent Politici : quod illa non nisi ex gravissimis causis suscipienda sit : Ut enim omnis alias mutatio periculosa : ita in primis legum (quæ præcipuum sunt Reipublicæ fulcrum & fundamentum) mutatio periculi est plenissima : Nisi igitur manifesta Reipublicæ vel utilitas vel necessitas postulet , in legibus veteribus nil temerè mutandum .

75. Potestas principis in subditos eorundemq; liberos moderata est : Unde licet subditi in ditione Imperio ac potestate Regis existant , non tamen ab ipso sine causa legibus approbata interfici , vel instar mancipiorum haberi , aut alterius in potestatem ab alienari possunt : Quoniam non tam ejus potestati permissi , quam fidei , benevolentiae & clientelæ ejus commissi videntur , Hotom. Illust. quest. 1.

76. Non enim omnes , qui Regum Imperio subjecti sunt , continuò servi habendi sunt : Aliud est enim Regem , aliud Tyrannum esse : Rex , inquit Aristoteles , volentibus & consentientibus imperat tantum , ut eos regat : Tyrannus verò invitis dominatur , tantum ut eos pro pecudibus , ne dum pro servis & mancipiis habeat , lib. 3. Politie .

77. Pa-

77. Pari modo in bona & facultates subditorum soluta potestas Principi non competit: Quapropter bona subditis jure ac legitimo titulo acquisita auferre minimè debet. l. 2. in fin. l. 5. ff. de Natal. restitut. l. 2. C. pro quibus causis serv. pro præmio. ac ne quidem propter utilitatem publicam, si aliter subveniri & consuli potest Reipubl. Nisi justum subdito rei ablatae refundatur precium., l. 13. §. 1. ff. commun. utriusque. l. 2. C. pro quibus Caus. Nec etiam jus ipsis quæsitum tollere aut diminuere debet, arg. tit. 7. pr. tit. 13. lib. 1. F. Et tit. 39. pr. lib. 2. Feud.

78. Hinc denique pacta & contractus cum subditis in itos instar privatorum inviolabiliter servare tenetur, l. prædia. C. de locat. pred. civit.

*Et tantum de Monarcha, ejusq; officio
& potestate.*



Cz

AD

1700 D. 16. 03. 04
3. 2016 Q

AD ANDREAM E. Berg/
Respondentem, amicum ac fratrem si-
gularem.

U T male fœcundis committit semina fulcis,
Qui non frugifer as messesq; reportat opimas.
Nec bene velivolam na'vem propellit in aquor,
Qui sibi propositum, non tangit remige portum.
Sic male Thebiadum studiis dat tempora, quem non
Scandere cura tenet, Virtutis culmina celsa.
At memori hoc tecum, BERGI, tu pectore et olvis
Dum virtute tibi studeas decus ipse parate.
Evoluisse etenim non tantum scripta Sophorum
Maxima cura fuit tibi: sed quoque tempore longo,
Diversas lustrare plagas, variisq; periclis
Exponi placuit: Sic quo experientia factis
Te commendaret; Sequitur quam vivida Virtus.
Hanc nunc ostendas, bac ut ratione patronis
Et patrie posis, tandem cum laude placere.
Laudo propositum. Præsens studium tibi prosp.
Meonius Nymphis Virtutem jungere perges:
Et simul emineant studium memorandag, Virtus:
Virtutem sequitur, Laus & memorabile nomen,
Virtutis merces tibi sic erit ista parata.

Nicolaus Grubb. L.
Gothus S.

Ad

Ad eundem.

DOCtiloquo quantum Lucano Corduba debet;
Tantum magna tibi BERGI quoque Suetica tellus.
Non etenim obscurum est, quae sit tibi gratia morum,
Quævè inter doctos tua conversatio dulcis.
Ergo bonis charus! quoniam tibi pectora saxo
Ipse Promethiades tribuit de nobiliore.
Est pietasque tibi Virtus doctrinæque, magna,
Eloquiumque dedit cultum, blandissima Suada.
Hinc patriæ possis magna cum laude placere,
Et tibi perpetuo remanebunt munera sacra.
At bonum ut incepturn fortunet Summus ab altis
Comprecor ipse tibi. Vigas tu candide amice.

Petrus Clemens W. Gothus.

Ad eundem

SICCINE Musæum cultor doctissime BERGI,
Ardua Virtutis concendis limina. Namque
Quid potes ingenio, & quantum experientia viva
Addidit, ostendit pariter: Nonne hoc decus ingens,
Et patriæ laus est? At pergitò tu pede fausto
Virtutem Aoniis semper conjungere Musis
Cujus pro foribus te expectat gloria facti,
Hinc pandetque fores clausas, sponte inclita Virtus.

Andreas } Weberi Magdeburg.
Sylvester }

A 3

Au

Au Sieur André E.Berg.

Sonnet.

Monsieur le double mont qui plusieurs favorise,
Du Cristal espuisé de nos peres premiers,
Encores vous permet, ecrire des derniers,
Ce qu'estant mieux poly, mieux leur nom Eternise.
L'auugle Smyrneau, qui tous les Grecs maistrise,
Son grave Truchement Trompettes des guerriers
(Qui jadis pour sauuer leurs panchants murs entiers
Sousindrent mal l'effort d'une guerre mal pris'e.)
Un divin Aristocle, un fameux eloquent
Semblent avoir ravy le plus riche ornement,
D'ou le Delphique Dieu ses pourfuyuans guerdonne,
Mais si ces fabuleux nous mettons à l'escart,
Prenant le bon discours que vostre escrit despart
Dupremier bien disant il aura la Couronne.

Jaques Blecheret.




Mittenlang. Diss., 1613/23

ULB Halle
002 673 304

3



1817



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



12936

De

1614

32.

MONARCHA EJUSQUE OFFICIO ET POTESTATE, DISPUTATIO JURIDICO-POLITICA,

Quam

Divinâ aspirante gratiâ,

IN CELEBERRIMA ACADEMIA
WITTEBERGENSI

Sub Presidio

Helfrici Ulrici Hunnii, J. U.

Doctoris, & designati in inclyta Academ-
mia Giessena Professoris Publ. &
Ordin.

Publici exercitii gratiâ proponit

ANDREAS E BERG / SUDERMANNO-
SUECUS,

In Auditorio JCtorum die 26. Martii, horis
matutinis.

Invitatum
Gottfridum R...
SS. LL. Cividet
Zesamtij...
jan h...
amicus et publicus
ne invita f...
flag

WITTEBERGAE,

Ex Officina Typographica Wolfgangi Meisneri,
ANNO CLXIV.

Farbkarte #13

